



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Quid sentiat Bonauentura. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

tempus fuit, illud imaginarium solum esse potuit. Si autem fuit æternum, & sine principio, ut prædicti Doctores affirmare videntur, sequitur, cœternum Deo fuisse, & ante illud non potuisse Deum vitam æternam promittere, aut definire. Paulus igitur ut opinor, per tempora secularia, siue æterna, Græce ἀἰώνια, intellexit omne tempus, & ideo dixit *Antetempora secularia*, ac si diceret, ante seculum. Tota enim temporis cogeris seculum dicitur, ut paulo ante notabamus. In quem sensum accipitur etiam illud ad Rom. ult. *Secundum revelationem mysterij temporibus æternis taciti*. Hoc est, toto tempore ab orbe condito nondum hætenus manifestati: ut interpretatur S. Th. in commentario illius capituli Dionysij Sic etiam Ecclesiastici 1. dicitur: *Sapientia à domino Deo est & cum illo semper fuit, & est ante eum*, hoc est ante omne tempus. Eodem pacto Deus dicitur esse ante secula atque illa fecisse, ut docet Damascenus loco allegato.

Quocirca Dionysius c. 5. de divinis nominibus satis post medium auctorem, & effectorem æternitatis Deum appellat, hoc est, totius temporis. Quo sensu Aug. lib. 8. 3. quæst. q. 23. dixit, Deum alio modo æternum, & sapientem esse quam cetera omnia. Ea enim participatione quadam talia esse possunt: Deus autem æternus, & sapiens est, quod auctor sit æternitatis, & sapientiam esse quam cetera omnia. Ea enim participatione quadam talia esse possunt: Deus autem æternus, & sapiens est, quod auctor sit æternitatis, & sapientiam esse quam cetera omnia. Ea enim participatione quadam talia esse possunt: Deus autem æternus, & sapiens est, quod auctor sit æternitatis, & sapientiam esse quam cetera omnia.

Quarto dici potest ænum, siue seculum, 50. annorum spatium: *ἑξήκοντα*, Gholam enim Hebreis idem est, quod Græcis ἑξήκοντα: ut autem docet Hier. in magnis commentariis in c. 1. ad Galat. quoties apud Hebr. vox illa scribitur cum litera *l*, significat æternitatem: cum vero sine illa, significat annum lubilæi, qui erat quinquagesimus. Sic est Exodi 21. ubi præcipit Deus, ut qui emerit seruum, septimo anno libertate donet: quod si ille noluerit *Perforabis* (inquit) *aurem eius subula, & erit servus in seculum*. & Deut. 15. ubi idem habetur. Nisi quod pro in seculum, ponitur in æternum, In Hebr. scribitur vox illa sine *l*, & significat tempus lubilæi: alibi vero, ubi scribitur cum *l*, significat æternitatem, vel seculum alia ratione. Hanc doctrinam ex Hier. desumpsit Vives in lib. 12. de civit. c. 19. Ea tamen recentioribus Hebræis, inter quos est Mercerus, non probatur, quod in Scriptura indiscriminatim utroque modo scribatur, & sane si de codicibus Hebræis, qui præ manibus hoc tempore habentur, loquamur, id negare non possumus. Ceterum credendum est tempore Hier. eo modo ut ipse notavit, hanc vocem varie scribi consuevisse ad diversa significandum. Postea vero facta punctorum appositione in congregatione Tiberiadis discrimen illud non fuisse servatum.

Quinto docent Damascenus, & Nicetas locis citatis, à cœli creatione usque ad finem mundi septem secula numerari: octavum vero esse future vite. Sexto dicunt Dionysius c. 10. idem Damascenus, & Nicetas, ænum usurpari pro ipsa æternitate, de qua hætenus locuti sumus, quæ sine & principio, & omni varietate caret.

Ceterum, ænum de quo nunc est nobis futura disputatio, accipitur per Angeli, seu animæ rationalis durationem, quæ cum habeat principium, finire caret; eius quoque aliqui Patres videntur mentionem fecisse Basilium li. 2. contra Apologeticum Eunomii satis ante medium sic ait: *Communis enim consuetudo aut temporibus, aut seculis omne intervallum subiicit. Nam quod sensibilibus est temporis, hoc in super mundanis est seculi*. Nam seculum appellat ænum, quod Græce ἀἰών. Porro non de solo Dei æno, sed etiam creaturarum spiritualium ipsum loqui, colligitur ex eo, quod super mundana opposuit, non rebus creatis in vniuersum sed sensibilibus, & corporeis. Aug. li. 83. quæst. q. 19. docet immortale interdum etiam licet improprie æternum appellari: cum ergo secundum primatiam nominis significationem æternitas idem sit, quod ænum, ut prædictum est, si res immortales dicuntur æternæ, earum quoque duratio æternitas, seu ænum appellabitur.

Demum Nicetas loco iam allegato de æno, quod Græce dicitur ἀἰών, inquit *ut de Angelis, & animalibus haudquaquam proprie dici potest. Ænum enim illorum principium habet, verum finem habiturum non est. Quocirca partim eum participes sunt, quia incorruptibiles sunt, & immortales partim temporis, quia in rerum creaturarum classe sunt*. Dicitur ergo latiori significatione duratio Angelorum & rerum incorruptibilium, ænum, potiori ratione, quam cuiusque hominis vita. In eorum namque duratione est aliquid æternitatis, quæ proprie dicitur ἀἰών, siue ænum, scilicet carere fine. Imo hæc videtur minus impropria nominis usurpatio, quam ceteræ commemoratæ. In alijs namque & principium & finis reperitur, in hac autem finis non est. Sed cum in omnibus sit diuturnitas quædam, quæ adverbio *Semper*, vulgo solet explicari, nomen ænum extensione quadam ipsis accommodatum est. Iam vero Scholasticorum usus obtinuit, ut ænum non nisi rerum creaturarum & incorruptibilium duratio dicatur, de qua nobis subinde disputandum est.

CAPVT II.

Quid sentiat Bonaventura.

VT naturam æni iuxta vltimum modum, & significationem plenius explicemus, eamque ab æternitate, & tempore distinguamus, videndum prius est, an in se habeat successionem aliquam. In qua quidem questione prima sententia sit Bonavent. in 1. d. 2. 1. p. dist. 1. art. 1. quæst. 3. qui affirmat durationem substantiæ spiritualis non sine successionem aliquam, in qua prius, & posterius assignari possit, bene tamen sine ulla variatione esse.

Opinionem hanc probabilem esse censent Scotus in 2. d. 2. q. 1. §. Qui vult tenere. Ricardus eadem d. art. 1. q. 3. Eamque aliqui tribuunt Gabrieli, quia mea sententia ut paulo post referemus, sequitur oppositam. Explicat vero illam Bonaventura in hunc modum. Duplex est (inquit ille) genus successionis; quoddam cum variatione, quale in tempore reperitur: quia videlicet vna parte adueniente alia omnino desinit: & talis successio non est in æno Angelorum, & rerum spiritualium: in hac vero successionem vere est futurum post præteritum. Alterum est sine variatione, quod non in solâ extensione durationis consistit: hæc enim, si esse posset tota

Ad Rom. ult.

S. Thom. Ecclesi.

Damasc. Dionys. August.

Tit. Ad 1.

Chrysost. Anselmus. August.

Hieron. Gholam quid apud Hebræos de signet. Exod. 21.

Deuter.

Vives. Mercerus.

Notandum Damasc. Nicet.

In qua significatione, immatur in presenti questione. Basil.

August.

Nicet.

6

Bonavent. Durationem rei spirituales successionem habere Bonavent. affirmat. Scotus. Ricardus.

Explicatur hæc sententia.

Authentice
primus
probat.

8

tota simul permanens, nullo modo esset successio: est igitur in extensione, in qua futurum aliquid est sine praterito, ac proinde sine variatione, quam diximus temporis conuenire. Atque hoc modo intelligendus est B. Bonaventura, cum hoc genus successione definit. Fateor quidem, in duratione quandam durationis. Fateor quidem, in duratione extensionem inueniri non posse, quæ sine futuro, aut praterito sit. Quocirca Bonaventura optime per solam extensionem hoc genus successione explicauit, quod in æuo Angelorum & rerum spiritualium asserit reperi.

S. Thomas.

Anselmus.

Opinio vero sic explicata probari potest testimonijs Patrum. In primis etenim omnes, quos commemoravi disp. 32. c. 1. & 2. soli Deo perseuerantiam durationis sine ulla successione, sicut etiam immutabilitatem tribuere videntur: ergo ea non est æuo etiam rerum spiritualium adscribenda, vt ita commodè inter æternitatem, & æuum differentiam constituamus: aliunde namque non videtur posse assignari, quam ex eo, quod æternitas caret principio, & sine æuum autem non principio sed sine. Verum hoc modo differentia æui, & æternitatis in vniuersum explicari nequit. Nam fieri potest, vt res spiritualis ab æterno, & sine fine duratura creetur. Tunc igitur duratio illius & sine, & principio carebit. Quare S. Thom. art. 5. fateatur eo modo non posse æuum, & æternitatem differre, sed eo, quod æuum successione habet, non autem æternitas. Speciatim vero Anselmus in Prologo c. 10. sententiam Bonau. tradidisse videtur, de Deo enim inquit: *An hoc quoque modo transis omnia etiam æterna, quia tua & illorum æternitas tota tibi presens est, cum illa nondum habeant de sua æternitate, quod venturum est, sicut iam non habent quod prateritum est: sic quippe semper es vltra illa, cum semper ibi sis presens, ad quod nondum illa perueniunt.* Quo genere interrogationis Anselmus affirmat, quod proponitur: id quod Aristoteli quoque familiare est. Comparat autem Anselmus eo loco Deum rebus omnibus æternis, quæ scilicet finem non sunt habituræ, quales sunt spirituales, in earum igitur æternitate, seu æuo concedit esse successione.

Secundo probat Bonau. ex Hieron. in Epist. ad Marcellam, quæ est 136. ex quo refert hæc verba: *Deus autem tantum est, qui non nouit fuisse, & futurum esse.* Cum ergo alijs omnibus hæc duo conueniant, & ea sine successione esse non possint, fit, vt æuo spiritualium rerum successio quoque conueniat. Cæterum verba citata non sunt Hieronymi, sed Glossæ in illud Exodi 3. *Qui est, misit me,* quæ ipsa addit, postquam Hieron. ibidem citauit. Desumpsit autem ea ex Isidoro lib. 7. Etymologi. c. 1. vbi decem nomina Dei explicat.

Tertio confirmatur ex Damasceno lib. 2. de fide c. 3. Vbi asserit, seculum esse spatium quoddam, seu interuallum quod vna cum rebus æternis protenditur. Æternas autem res appellat nunquam finem habituras.

Quarto denique pro hac sententia affert Scotus verba quædam Boethij lib. 1. de Trin. qui docet inter, nunc nostratum rerum, & diuinarum hoc interesse, quod nunc nostratum semper fluit, diuinarum autem semper perseuerat. Putat igitur, solum nunc diuinæ essentia sine successione esse aliarum vero rerum non sine illa.

Ratione autem hæc eadem sententia dupliciter probatur, primum ex parte actionis conseruantis

res ipsas; deinde ex parte ipsarum rerum. Ex parte quidem actionis, primum quia res etiam spirituales non tantum a Deo creantur, verum etiam postquam primo productæ sunt, continuo accipiunt esse, & conseruantur. Quod si nulla in ipsis sit durationis extensio, & successio, non potest conseruatio, quæ est continuata quædam creatio ab ipsa prima productione distingui. Tum etiam nisi hæc successio in earum duratione poneretur, statim atque primo producuntur, acciperent totum suum esse vltimo modo, quo possent: ex quo fieret, vt amplius conseruatione non indigerent. Ad hæc annihilatio nihil est aliud, quam negatio actionis conseruantis: sed annihilatio est post rei productionem, & aliquam ipsius conseruationem: ergo post aliquam conseruationem futura quoque erat alia pars conseruationis, cuius negatio esset annihilatio. Cum enim annihilatio sit priuatio conseruationis, & futura annihilatio futura conseruationis, si nulla esset futura conseruatio; futura annihilatio intelligi non posset.

Præterea eadem sententia probatur ex parte rerum: primum, quia si in æuo Angeli non esset successio, simul esset in eo fuisse, esse, & fore: quare sicut impossibile est ipsum iam non fuisse, ita impossibile esset, ipsum non fore. Ratio enim, ob quam res, quæ fuerunt, non possunt iam non fuisse, ea est, quod semel posito fuisse, contradictio nem implicat, rem illam non fuisse: eadem autem ratio erit de futuro in creaturis spiritualibus, si illud iam præsens est, & futurum non manet: ergo eodem modo dicendum esset rem spiritualement creatam non posse non fore.

Respondebit aliquis: ita impossibile est, futurum non fore, sicut præteritum non fuisse, vt disp. 63. c. 4. ostendimus, nihil igitur absurdi est, si dicamus, fore Angelum non posse non fore, sicut fuisse, non potest non fuisse. Verum ratio proposita non solum probat, fore Angelum non posse non fore, hoc enim in vniuersum verum est, sed ipsam Angelum non posse non fore, quod est manifeste absurdum. In ea namque disputatione hoc esse discrimen ex Anselmo dicemus, inter præteritum, & præsens ex vna parte, & futurum ex alia, quod in futuro solum est verum: futurum non posse non esse futurum: dici tamen non potest de re ipsa futura, non replicando futurum, hæc res non potest non fore: in præterito vero, vel presenti non tantum est verum dicere, res præterita non potest non esse præterita: & præsens non potest non esse præsens. Sed etiam res hæc, quæ nunc præterita est, non potest iam non fuisse, & quæ præsens est, non potest iam non esse, eo quod extra causas re ipsa est, fuisse, aut esse, fore autem nondum extra causas est. Si ergo fuisse Angeli, esse, & fore simul sunt, erit quoque extra causas, quare sicut Angelus non potest iam non fuisse, & esse, sic etiam non poterit non fore, non tantum replicando, quatenus futurus est, sed etiam absque ulla replicatione.

Deinde si in æuo non esset successio, non posset vnus Angelus post alium produci, quia ante, & post in sola successione posita sunt. Postremo, quia si deus ratione suæ æternitatis, quia tota simul sine successione est, cognoscit omnia futura, eo quod omnia simul præsentia habeat, ratione æternitatis permanentis, idem quoque Angelo conueniet ratione æui, quod est absurdum.

10

II
Enajia

Impugnatur.

CA.